

dula cura, sollicitaque industria, omnique animi conatu satagebat. Itaque ex aliorum peccatis maximo animi concepto dolore, aliena crimina seueris in se animadversionibus, copiosisque lacrymis ulciscibatur. Et quoniam compertum habebat ex publicis dissidiis intestina odia nasci, atque inde multa gigni scelera, & peccata, civiles discordias hortationibus, & consiliis compefcuit, & dissidentes ad pacem, & amicitiam revocavit. Præterea Matronarum luxum, & vanitatem coercuit, multos ad poenitentiam adduxit, plurimos virtute firmavit. omnes verbis edificavit, & exemplo. Pauperes, & Infirmos summa miseratione, & charitate teneris annis complexa est. Nam adhuc adolescentula nudos cooperire, & famelicos pascere, propriis vestibus exutis, & pretiosioribus e mensa dapibus detractis consuevit, jam tunc in parvo præmeditans cuncta contemnere, & sua simul universa largiri. Nam postea sui juris facta paternam, maternamque hereditatem ad pauperum, & Servorum Marię inopiam sublevandam impendit. Insuper opulentas foeminas ad proprias in egentium alimoniam opes distribuendas suasionibus, & exemplo perduxit.

Non solum proximum animis, sed etiam corporibus sanandis operam præbet.

§.16. Publica Nosocomia, dum in edibus matris habitabat, frequentans, & egrotantium inserviens necessitatibus, eos verbis animabat ad patientiam, doctrinis instruebat ad pietatem. Quare ut benignissimus Deus eximiam Servę suę virtutem in oculis hominum illustriorem redderet, egrotos ad ejus manuum contactum sæpe pristinę sanitati restituit; aliis etiam gratię donis eam insignivit: inter cetera ut eos, qui Virginitatem colerent, ex mira odoris fragrantia cognosceret.

Cœlestibus fructus delicis eandem animi modestiã servat.

§.17. In orationibus autem tanta cœlestis dulcedinis suavitate animus ejus perfundebaratur, ut in frequentes extases corpore e solo in altum sublato raperetur. At vero illud omnium animos in admirationem sui, atque amorem trahebat, quod inter tam insignia Divinę Gratię dona, & admirantium ejus virtutem laudes, eandem semper modestiam, mansuetudinem & humilitatem servavit, ut quanto altius virtutum incremento eveheretur, tanto demissius humilitatis profunditate descenderet.

Ad extremũ vitam redacta refici Eucharistiam desiderat.

§.18. Demum continuatis jejuniis, diuturnisque carnis macerationibus, tum etiam ob senilem ætatem, quippe septuagenaria major, debilitati stomachi morbo graviter affecta, eumque in dies ingravescentem hilari semper vultu, constantique animo perferens, ad ultimum spiritum redacta est. Cum autem extreme unctiois & Poenitentię Sacramentis receptis, sacram Eucharistiam ob indignantis stomachi vitium sibi denegari intellexit, maximum in modum doluit sacra Dei Ancilla in extremo illo agone Comunione Corporis, & Sanguinis Christi destituta procedere ad pugnam, & Sanctissimo Viatico minime refecta ex hac mortali vita proficisci,

& denique in ultimo vite momento a dilectissimo Sponso suo quodammodo separari, & ab evangelici Patristfamilias coena, & a regalibus nuptiis nulla sua culpa, sed sola vi morbi excludi, graviter ingenuit.

§.19. Ut vero amantissimi cordis sui angustibus lenimentum aliquod adhiberet, Fratrem ejusdem Ordinis Servorum B. Marię Confessarium suum rogavit, ut sacra Pixide ad se delata aspectu saltem Augustissimi Sacramenti dolorem animi sui solaretur. Obsequente ejus voluntati Sacerdote, statim ac Eucharisticus panis illo deferente apparuit, Juliana corporeis quidem viribus destituta, sed ferventis charitatis robore sustentata, se in formam Crucis super terram Dominum suum adoratura prostravit, ejusque facies antea squallore morbi, & macie deformata, Angelico quodam decore honestata eluxit. Sed presentia Sanctissimi Corporis Christi immensę charitatis exaggerato potius, quam restincto ardore, orat, ut sibi liceat Divinissimum Sacramentum deosculari, renuente autem Sacerdote, supplex iterum efflagitat, ut supra pectus suam candido expanso velo sacra Hostia ponatur. Voti compos effecta est, sed Panis ille Cœlestis, ubi Virgineum attingit pectus, statim, ut credibile est, interiora Sponsę suę pectoris arcana penetrans, ex adstantium oculis disparuit; illa vero eodem temporis momento Cœlestem Sponsum, dulciter compellens, ac dicens, dulcis mi Jesu, inter castissimos Divini Sponsi complexus felicem animam Deo reddidit, decimo tertio Kalendas Julias anno Christi millesimo trecentesimo quadragesimo primo.

Cœlestis panis supra ejus pectus positus miro modo interiora penetrans ex adstantium oculis disparuit, & paulo post B. Virgo migravit in Cœlum.

§.20. Dum vero sacra Virginis corpus a suis Sororibus, ut fieri solet, curabatur, inventa est circa sinistrum pectoris latus hostię forma carni veluti sigillo impressa, quę Christi Crucifixi Imaginem referebat. Ita Divina operante Omnipotentia, ut imago Christi Crucifixi quem vivens mente, & corde semper gestaverat, defunctę in corpore a mortalium oculis conspiceretur, veluti signaculum Divini amoris dilectam hortantis, & dicentis, pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.

Circa sinistrum pectoris latus forma hostię carni impressa reperitur.

§.21. Ubi autem felix, beataque Julianę mors audita est, fama ejus Sanctitatis, & novo, atque inaudito Sacrosanctę Hostię miraculo excitata, tota ferme Florentina Civitas per plures dies ad Virginis Marię Annunciatę Basilicam conflavit, Sacrum Virginis corpus Spiritus Sancti Templum veneratura. Ut vero benignissimus Deus Ancillam suam, quam cœlesti, & immarcescibili gloria donaverat, gloriosam quoque in terris efficeret, ad solum illius feretri, aut vestis contactum infirmos plurimos a variis morborum generibus mirabiliter liberavit. Quamobrem ab ejusdem obitus die usque in presentem, & miraculis illustris, & Beatę, Sanctęque nomine nuncupata, Populis ad ejus sacras colendas exuvias undique confluentibus in cul-

Vulgato ejus mortis nuncio magno sit Populi concursus, & multi ad ejus feretri, seu vestis contactum sanantur.

cultu nunquam intermisso habita est. Nec solum in Etruria, sed in multis etiam Orbis Christiani Provinciis Ancilla Dei summa jamdiu veneratione colitur, ubi quoque plura Sacrarum Virginum Monasteria Julianam veluti Matrem suam, ac Tertii Ordinis Servorum Marię Institutricem venerantur, ejusque regulam a se. re. Innocentio Papa VIII., & Martino Papa V. Prædecessoribus nostris anno millesimo quadringentesimo vicesimo quarto, decimo septimo Kalen. Aprilis approbatam profiterentur: Quin etiam se. re. Paulus V. Prædecessor noster in suis literis in forma Brevis datis quarto idus Maii anno millesimo sexcentesimo octavo ad clarę memorię Julianam Gonzagam Archiducem Austriae præfati Ordinis Professam, & in Germania Restauratricem, Beatę, atque ejusdem Institutii Patronę titulo, Julianam condecoravit.

Acta Canonizationis.

§.22. Fama vero illius Sanctitatis, ac Miraculorum in dies percrebescente, anno sexcentesimo sexagesimo septimo supra millesimum a pię memorię Clemente IX. signata fuit commissio introductionis causę Canonizationis ad effectum etiam recognoscendi; ut cautius in re tam gravi procederetur, ejus virtutes, & miracula. Ac deinde anno millesimo sexcentesimo septuagesimo tertio super ejusdem cultu immemorabili, & casu excepto processu Florentię fabricato, Judicis delegati sententia pro cultu immemorabili, & casu excepto emanavit, quę ad relationem bonę memorię Decii S. R. E. Diaconi Cardinalis Azolini nuncupati habitam diebus nona, & vicesima sexta mensis Julii anno sexcentesimo septuagesimo octavo supra millesimum a Sede Apostolica confirmata fuit. Felicis autem record. Innocentius XII. diebus decima mensis Januarii, & decima septima Octobris anni millesimi sexcentissimi nonagesimi tertii univervo Ordini Servorum Beatę Marię Virginis, & Florentinę Civitatis facultatem indulsit de illa celebrandi Missam, & Officium de communione Virginum sub ritu semiduplici, quam deinde anno supra millesimum septingentesimo decimo octavo, die decima mensis Septembris ad ritum duplicem elevavit pię recordationis Clemens XI. Prædecessor noster, eo quod Beatam Julianam Tertii Servorum Ordinis Fundatricem fuisse compertum habuit.

§.23. Anno denique millesimo septingentesimo vicesimo octavo, die vicesima mensis Martii a se. re. Benedicto XIII. Prædecessore nostro approbata fuerunt Lectioes proprię ejusdem Officii cum Hymno, & Oratione, dieque septima mensis Augusti ejusdem anni B. Julianę Nomen cum elogio inscriptum est in Martyrologio Romano. Interea temporis causa ejusdem Canonizationis in Sacra Rituum Congregatione mature discussa anno millesimo septingentesimo vicesimo quinto, die quinta mensis Februarii ab eodem Pontifice decretum fuit ita consilare de Virtutibus ejus Theologis, & Cardinalibus, Bull. Rom. Tom. XIV.

ut recte pergi possit ad discussionem miraculorum. Quibus subinde in eadem Sacra Congregatione, ut moris est, ad examen vocatis, denique die octava mensis Septembris Nativitati Beatę Marię Virginis sacra anno millesimo septingentesimo vicesimo nono idem sanctę mem. Benedictus XIII. ex novem propositis miraculis quatuor sequentia solemnī decreto probavit, videlicet. Primum instantanę sanationis Sororis felicis Fortunatę de Sardis Monialis Professę in Monasterio Sancti Benedicti Civitatis Pisarum ab affectionibus Istericis, convulsionibus atrocissimis, & febri per quindecim annos continua in tertio genere. Secundum odoris suavissimi promanantis a reliquiis B. Julianę, consistente in una ex ejus costis in secundo genere. Tertium instantanę Sanationis Patris F. Horatii Riminaldi ordinis Servorum B. M. V. ab Apoplexia, seu Paralyfi, & attractione nervorum. Et quartum instantanę emissiois fetus in utero Marię Magdalenę Cittadelli a pluribus diebus jam mortui; iisque in tertio genere.

§.24. Proposito demum in alia Generali Sacrorum Rituum Congregatione coram supralaudato Pontifice die quarta mensis Octobris anni millesimi septingentesimi vicesimi noni a Venerabili Fratre nostro Ludovico Episcopo Albanense Sanctę Romanę Ecclesię Cardinali Pico de Mirandula nuncupato subrogato in locum bonę memorię Jesephi Renati Presbyteri Cardinalis, dum viveret, tituli S. Laurentii in Lucina Imperiali nuncupati Pontificis, seu Relatoris altero dubio, quod in hac causa supererat, nimirum: An instantanę approbatione prædictorum quatuor miraculorum tuto quocumque procedi possit ad solemnem Beatę Julianę Canonizationem, omnibusque tam Consultoribus, quam S. R. E. Cardinalibus affirmative respondentibus, idem Pontifex Prædecessor noster post imploratam de more Sancti Spiritus assentiam, die quinta ejusdem mensis, & anni decretum de ejusdem Beatę Canonizatione suo tempore, & loco peragenda pronuntiavit. Cum vero idem Benedictus XIII. humane peregrinationis viam complevisset, Nosque nullis nostris meritis, sed sola diving gratię dignatione ad Ecclesię gubernacula vocati essemus ad augmentum Divini honoris, & Sanctę Ecclesię utilitatem pertinere arbitrati sumus, ut quod præfatus Prædecessor noster faciendum sibi proposuerat, ad effectum, & complementum perduceremus. Nam plurimum etiam ad presentium temporum calamitatem levandam interesse existimavimus, si Christifidelium devotio erga Sanctos, & Electos Dei, qui pro Nobis in tantis necessitatibus intercederent, augetur.

§.25. Mandavimus itaque, ut omnibus, quę in causa acta fuerant, diligenter inspectis, & recognitis relatio eorum Nobis, & Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in Consistorio fieret. Itaque die sexta Maii presentis anni in Consistorio.

Supplicantibus pluribus Catholicis Regibus, ac Principibus, & univervo Ordine Servorum B. Marię Vir-

1737. gnis, & ipsa Familia Falconeria in Sacra Virginitate numerum adscribitur.

istorio nostro Secreto dilectus filius noster Antonius Felix tituli Sancte Praxedis Presbyter Cardinalis Zondadarius nuncupatus totius processus summam, ac suam, aliorumque Cardinalium Sacris ritibus prepositorum sententiam, necnon vite Sanctitatem, & miracula Beate Juliane accurate, & luculenter exposuit: quibus auditis reliqui omnes Cardinales, qui aderant, ad ulteriora fore procedendum comuni suffragio pronunciarunt. Cum igitur in publico Consistorio proxime a Nobis convocato dilectus filius Nicolaus Maria Sacripantes Consistorialis Aulae nostrae Advocatus pro eius Canonizatione eleganter perorasset, ac nomine diversorum Catholicorum Regum, & Principum, & praesertim universi Ordinis Fratrum Servorum Beatae Mariae Virginis, & ipsius Familiae Falconeriae, ut ad eam procedere dignaremur, humiliter supplicasset: Nos de re tanta Venerabiles Fratres Nostros S.R.E. Cardinales, & Episcopos in Curia praesentes consulturos esse respondimus, atque interim Cardinales, atque Episcopos, qui aderant, in Visceribus Christi hortati sumus, ut orationibus instantes, in jejuniis, & eleemosynis animos suos coram Deo nobiscum humiliantes precibus a Deo Patre luminum exposcerent, ut ex alto super Nos lucem, & veritatem suam emitteret, quae Nos ad voluntatem, & beneplacitum eius cognoscendum, & perficiendum deduceret.

§.26. Itaque in semipublico Consistorio, quod deinceps congregatum est, advocatis non modo Cardinalibus, sed Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis in Curia nostra existentibus, intervenientibus etiam nostris, ac Sedis Apostolicae Notariis, Protonotariis ex numero Participantium nuncupatis, ac Sacri Palatii Apostolici caesarum Auditoribus, cum a Nobis de eximia Sanctitate Ancillae Dei, ac Miraculorum celebritate, qua necessaria videbantur, commemorata fuissent, omnes concorditer, ac uno ore benedicentes Deum amicos suos honorificantes in Terris, & coronantes in Coelis B. Julianam in Sanctarum Virginum numerum adscribendam esse censuerunt. Quorum omnium audito consensu intimo cordis affectu exultavimus in Domino, gratias agentes Deo, & filio eius Domino Nostro Jesu Christo, quod Ecclesiam Suam non dereliqueret, sed gloria Sanctorum Suorum illustrare, & patrocinio munire dignaretur. Canonizationis itaque indiximus diem, eisdemque Fratres, ac filios nostros nominamus, ut in orationibus, & eleemosynis perseverantes a Divina benignitate impetrarent, ut in tanto opere exequendo Splendor Domini Dei Nostri esset super Nos, qui opus manuum nostrarum ad perficiendam eius voluntatem dirigeret.

§.27. Demum rite omnibus, absolutis quae ex Sacris Constitutionibus, Romanaeque Ecclesiae consuetudine peragenda erant, hodie, quae fuit dies Dominica Sanctissimae Trinitatis in Sacrosanctam Lateranensem Basilicam decenter ornatam

cum Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, nec non Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, Romanaeque Curiae Praelatis, Officialibus, & Familiaribus nostris, Clero Seculari, & Regulari, ac maxima Populi frequentia convenimus, ubi repetitis pro Canonizationis decreto petitionibus a dilecto filio nostro Nereo S.R.E. Diacono Cardinali Corfino nuncupato, nostro secundum carnem, ex fratre Nepote, per dilectum filium Thomam Antamorum Consistorialis Aulae nostrae Advocatum, & decantatis Sacris precibus, & Litanis, ac Spiritus Sancti gratia humiliter implorata. Ad honorem Sanctae, & Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae, & Christianae Religionis augmentum, Autoritate Domini Nostri Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra, matura deliberatione praehabita, & divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Urbe existentium consilio, & consensu B. Julianam Falconerianam Sanctam esse decrevimus, & definitivimus, ac Sanctorum Cathalogo adscriptimus, prout tenore praesentium similiter decernimus, definimus, & adscribimus, illamque universos Christianos tanquam vere Sanctam honorare, & venerari mandavimus, & mandamus, statuentes, ut ab universali Ecclesia, in eius honorem Ecclesiae, & Altaria, in quibus Sacrificia Deo offerantur, adificari, & consecrari possint, & singulis annis die decima nona mensis Junii, qua ad caelestem gloriam vocata est, inter Sanctas Virgines non Martyres pia devotione recolere debeat eademque autoritate omnibus Christianis vere poenitentibus, & confessis, qui annis singulis eodem festo die ad Sepulchrum, in quo eius corpus requiescit, visitandum accesserint, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis poenitentis, misericorditer in Domino relaxavimus, ac relaxamus in forma Ecclesiae consueti.

§.28. His peractis Deum Patrem aeternum, Regemque gloriae Christum Dominum Patris sempiterni Filium, & Sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum laudibus, & confessionibus venerati, sacroque hymno Te Deum solemniter decantato, omnibusque Christianis tunc praesentibus plenaria omnium peccatorum suorum indulgentia, & remissione concessa, propter corporales nostras infirmitates, affectamque valetudinem, senilemque aetatem, ab eadem Lateranensi Ecclesia recessimus, remanentibus in ea Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, Archiepiscopis, & Episcopis, & universo Clero, & Populo, quibus praesentibus, a Venerabili Fratre nostro Thoma Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Episcopo Praenestino, Russo nuncupato, tamquam Cardinali, in ordine, antiquiori, in ara maxima praefata Basilicae, ex indulto, & de licentia nostra, solemniter

Missae

Missae, cum Sanctae ejusdem Virginis non Martyris commemoratione celebrata est. Decet autem, ut pro tam insigni beneficio cum omni humilitate benedicamus, & glorificemus Deum, cui omnis honor, & gloria, & potestas in Saecula assiduis precibus ab eo postulantes, ut per intercessionem Electae suae non secundum peccata nostra faciat nobis, sed infinitam bonitatem suam respiciens, & indignationem suam avertens a culpis nostris, ostendat nobis lucem misericordiarum suarum, & immittat timorem suum super Gentes, quae non cognoverunt eum, eum ut cognoscant quia non est alius Deus, nisi Deus noster.

§.29. Ceterum quia difficile foret, praesentes nostras literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu tamen publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus Personae in dignitate Ecclesiasticae constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae, & ostensa.

§.30. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, definitionis, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, elargitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Jo: in Laterano Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo trigesimo septimo, sexto decimo Kal. Julii Pont. nostri anno VII.

✠ Ego Clemens Catholicae Ecclesiae Episcopus.



- † Ego Franciscus Episcopus Oshien. Card. Barberinus.
† Ego Petrus Episcopus Portuen. Card. Orobonus.
† Ego Episcopus Sabinen. Card. S. Clementis S. R. E. Camerarius.
† Ego Ludovicus Episcopus Albanen. Card. Picus.
† Ego Petrus Episcopus Tuscananus Cardinalis Corradinus. Bull. Rom. Tom. XIV.

- † Ego Georgius Tit. S. Praxedis Presbyter Card. Spinula.
† Ego Ludovicus Tit. S. Mariae in Transiberim Card. Bellaga.
† Ego Alvarus Tit. S. Bartholomaei in Insula Card. Cienfuegos.
† Ego J. B. Tit. S. Matthaei in Merulana Card. de Aleris.
† Ego Vincentius Tit. S. Petri ad Vincula Presb. Card. Petra Major Penitentiarius.
† Ego Nicolaus Maria Tit. SS. Joannis, & Pauli Card. Lercari.
† Ego Franciscus Antonius Tit. S. Sixti Presb. Card. Finus.
† Ego Fr. Vincentius Ludovicus Tit. Sancti Pancratii Presb. Card. Gotti Ordinis Praedicatorum.
† Ego D. Leander Tit. S. Callisti Presbyter Card. de Porzia.
† Ego P. Aloysius Carafa Card. Tit. S. Prisca.
† Ego Franciscus Burgbesius Card. Tit. Sancti Silvestri in Capite.
† Ego Vincentius Tit. S. Laurentii in Pane, & Perna Presb. Card. Bichius.
† Ego Joseph Tit. S. Thome in Parione Presb. Card. Firrao.
† Ego Ant. Tit. S. Stephani in Monte Celio Presb. Card. Gentili.
† Ego Fr. Jo. Ant. Card. Guadagni Tit. SS. Sylvestri, & Martini ad Montes.
† Ego T. Card. de Acquaviva Tit. S. Ceciliae.
† Ego Dominicus SS. Quirici, & Julitae Presb. Card. Riviera.
† Ego Marcellus Tit. S. Mariae in Ara Caeli Presb. Card. Passari.
† Ego Fr. P. M. Tit. S. Joannis ante Portam Latinam Card. Pieri.
† Ego Laurentius Prior Diaconorum S. R. E. Card. de Aleris.
† Ego Carolus S. Agathe in Subarra Card. Columna.
† Ego Fabius SS. Viti & Modesti Diaconus Card. Oliverius.
† Ego

† Ego Alexander S. Mariae in Cosmedin. Diac. Card. Albanus.  
† Ego Nicolaus S. Mariae ad Martyres Diaconus Card. Judice.  
† Ego Nerius S. Eustachii Diaconus Card. Corsinus.  
† Ego B. SS. Cosma & Damiani Diaconus Card. Ruspolus.

†  
†  
†  
†  
†  
†  
†  
†  
†  
†

Loco \* Plumbi.

Antonius Card. Pro-Datarius  
Pro Domino Card. Oliverio.  
Cajetanus Amatus.

VISA DE CURIA  
N. Antonellus.

Registrata in Secretaria Brevium.

CCVII.

Beatificatio Servi Dei Josephi a Leonissa Sacerdotis expressè professi Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum.

CLEMENS PP. XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Patrum Princeps Jesus Christus, cuius vices in terris plane immerentes gerimus, quemadmodum nova semper in Ecclesia sua instaurat exempla virtutum, & de terra nostra novos sibi suscitavit, & erigit servos, ut collocet eos cum Principibus populi sui, & solum gloriae teneant in Coelis, ac tanquam Stellae fulgentes in perpetuas aeternitates, illuminent his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis: ita nos debitum Sacrosancti Apostolatus nostri officium ducimus, & Catholice Religionis magis ad augendam, & Christianis ad pietatem amplius excitandis in hac temporum conditione valde opportunum, ut benignitatem Dei nostri, & memoriam Sanctitatis eius in virtutibus, ac meritis servorum suorum extolentes, ac praedicantes, eorum praesertim debita venerationis cultum promovere satagamus, qui postquam lubricum inter blandientis mundi illecebras pueritiae iter mira cum morum innocentia confecerunt, arduum perfectionis curriculum sub severioris disciplinae instituto incuntes, non solum dignos in pietatis, & doctrinarum palestra progressus fecerunt; verum etiam verbo, & exemplo faciem ceteris praefidentes, adeo

incredibili divinae gloriae & animarum salutis procurandae zelo exarserunt, ut omnes Christo lucrificandi causa, labores, ludibria, verbera, cruciatus, ac mortem ipsam christiana fortitudine contempnentes, tandem evolarent ad coronam legitimè certantibus repositam in Coelis a bonorum omnium largitore Deo, qui Servorum suorum agones, ac labores laudabiliter pro sui nominis gloria completos, signis etiam, & miraculis illustrare dignatus est.

§.1. Cum itaque mature, diligenterque discussis, atque perpensis per Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum Processibus de Apostolica Sedis licentia consecutis super vitae Sanctitate, & virtutibus tam Theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus Servum Dei Josephum a Leonissa Presbyterum expressè professum Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum multipliciter claruisse, nec non miraculis, quae ad eius intercessionem, & ad manifestandam Hominiibus ipsius Sanctitatem a Deo patrata fuisse assererebat; eadem Congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, uno Spiritu, unaque voce censuerit, posse quandocumque nobis videretur praedictum Servum Dei Beatum declarari cum consuetis Indultis.

§.2. Hinc est, quod nos piis, atque enixis nonnullorum venerabilium fratrum Antistitem, Catholicorum Principum, & Universitatum, nec non totius memorati Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum, & nominatim Gregorii a Roma ejusdem Ordinis Sacerdotis expressè professi, huiusque cause Postulatoris supplicantiibus nobis, & huic Sanctae Sedi super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de supradictae Congregationis Consilio, & assensu, auctoritate Apostolica, tenore praesentium indulgemus, ut praefatus Servus Dei Josephus a Leonissa imposterum Beati nomine nuncupetur, ejusque corpus, & Reliquiae venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferendae) exponantur, Imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, atque de eo quot annis die felicis ejus transitus, seu alia die non impedita illam immediate sequenti recitetur Officium, & Missa celebretur de communi Confessoris non Pontificis juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani.

§.3. Porro recitationem Officii & Missae celebrationem hujusmodi fieri concedimus dumtaxat in universo Ordine Minorum Sancti Francisci Capuccinorum utriusque sexus, in loco Leonissa Dioecesis Spoletanae, in quo natus est, & ubi Venerabile ipsius corpus requiescit, atque in Terra Amatricis Reatinae Dioecesis, unde ad Coelos evolavit, ab omnibus utriusque sexus Christianis tam Sacularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, & quantum ad Missas attinet, etiam ab omnibus Sacerdotibus ad Ec-

S. Rituum Congregatio declarat Ven. S. D. Josephum a Leonissa Beatum dici posse.

Eandem col posse declarari Clemens.

Officium ejus recitari nonnullis in locis permittit.

Primoque anno a datis hinc literis solemnibus ejus Beatificationis peragi.

Derogat obstantibus.

Transumptis jubet credi.

Dat. die 19. Junii 1737. An.VII.

Divisa Provincia Polonica a Lituanica, hinc attributus Conventus Varsaviensis.

Ecclesias, in quibus festum perageretur, confluentibus.

§.4. Praeterea primo dumtaxat anno a datis hinc literis, & quoad Indias a die, quo eadem literae pervenerint inchoando in Ecclesiis Ordinis, loci, ac Terrae praefatorum solemnibus Beatificationis ipsius Servi Dei cum Officio, & Missa sub ritu duplici majori, die ab Ordinariis respective constituta, postquam tamen in Ecclesia Lateranensi de Urbe celebrata fuerint eadem solemnibus, pro qua re diem 22. currentis mensis Junii assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.6. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu Secretarii dictae Congregationis Cardinalium subscriptis, & sigillo Praefecti ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique tam in Judicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 19. Junii 1737. Pont. Nostri Anno Septimo.

CCVIII.

Confirmatio Decreti Capituli Generalis Ordinis Carmelitarum Excalceatorum super divisione, & nova assignatione Conventuum cum impositione perpetui silentii.

CLEMENS PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

Apostolicae procuratoris ministerium, quod Patrum Princeps Jesus Christus per ineffabilem clementiae suae abundantiam imbecillitati Nostrae imponere dignatus est, a Nobis exigit, ut ea interdum, quae certis rationabilibus ex causis etiam a Nobis concessa sunt, ipsa subinde rerum experientia suadente, & majoribus ex causis, quibus praesertim felici Christianissimum sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium statui, & salubri gubernio consultur, revocamus, & immutamus in hisque sollicitudinibus nostrae studium interponimus, prout conspiciamus in Domino salubriter expedire.

§.1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius modernus Procurator Generalis Fratrum Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum, quod alias in Capitulo Generali ejusdem Ordinis in Conventu Sanctae Mariae de Scala nuncupato de Urbe anno 1734. celebrato nova Provinciae Lituanicae Sancti Casimiri dictae ab antiqua Poloniae Provincia Sancti Spiritus nuncupata rationabilibus de causis tunc divisae, & erectae inter

alios Conventus eidem Provinciae Lituanicae insimul attributos, Conventus Varsaviensis assignatus fuit, quemadmodum per quaedam nostras desuper in simili forma Brevis literas die 7. Junii ejusdem anni 1734. expeditas decretum a memorato Capitulo Generali hac de re editum toto illius tenore inserto confirmavimus.

§.2. In Capitulo vero Generali praesentis Ordinis in Conventu SS. Theresiae, & Joannis a Cruce prope Montem Pietatis nuncupat. de eadem Urbe die 11. Maii hoc praesentis anni 1737. habito Fratres & gremio praefati Capituli postquam cognovissent, & serio expendissent rationes, ac difficultates, quae in praedicti Conventus Varsaviensis ab antiqua Poloniae Provincia, ut praemittitur, separati, ac disjuncti, & Provinciae Lituanicae de novo erectae assignati & uniti cessione occurrerent, mature considerassent, decreverunt nobis humiliter supplicandum esse, ut praefatis nostris literis, quoad supradictam partem dumtaxat derogantes vice, & loco assignationis praedicti Conventus Varsaviensis Provinciae Lituanicae assignetur eidem Conventus Lublinensis, & praefatus Conventus Varsaviensis remaneat, ut ante divisionem antiquae Provinciae Poloniae juxta alterum Decretum ejusdem Capituli Generalis, tenoris, qui sequitur videlicet: Pro-

positum fuit an ad majorem pacem utriusque Provinciae Poloniae, & Lituanicae rogandus sit Sanctissimus ad ratam habendam extraditionem Conventus Varsaviensis cum omnibus mobilibus, & immobilibus religiosis Provinciae Sancti Spiritus Poloniae faciendam a Religiosis Provinciae S. Casimiri Lituanicae, ac vicissim extraditionem Conventus Lublinensis cum omnibus mobilibus, ac immobilibus religiosis Provinciae S. Casimiri Lituanicae faciendam ab illis Provinciae S. Spiritus, itaut relinquatur facultas Religiosis Provinciae Sancti Spiritus procurandi sibi hospitium regulare Lublini, & e converso Provinciae S. Casimiri Lituanicae hospitium consimile Varsaviae ratione causarum agendarum utrobique; Et cum tam Varsaviae, quam Lublini sint Monasteria Sanctimonialium Carmelitarum Excalceatorum sub Ordinis Jurisdictione, Monasterium Varsaviense praedictum Sanctimonialium semper gubernetur a Religiosis Provinciae Poloniae, Monasterium vero Monialium Lublini, quod vocatur S. Joseph administratur a Religiosis Provinciae S. Casimiri Lituanicae, aliudque Monasterium praedictarum Monialium sub titulo Sanctissimae Conceptionis in eadem Civitate Lublinensi existens a Religiosis Provinciae Sancti Spiritus Poloniae, & responsum fuit affirmative ad omnia cum omnibus votis.

§.3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat ipse Procurator Generalis non solum praedictas assignationes supradictorum Conventuum Religiosorum Viro- rum, & Monasteriorum Monialium, ut praemittitur in praesentis decreto, Provinciae ab eodem Capitulo Generali die 21. Maii

In Capitulo anni 1737. Decretum ut loco Conventus Lublinensis.

Huic Decreto perita Apostolica confirmatio.

Maii presentis anno 1737 celebrato respective assignatorum, quo firmius subsistant, ac ferventur exactius, Apostolicę confirmationis Nostre patrocinio communiri, ac alias in premissis opportune provideri, & ut infra indulgeri summopere desideret.

Confirmat Clemens.

§.4. Nos dictum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes; supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, audito etiam super premissis dilecto filio Nostro Nicolao S.R.E. Diacono Cardinali Judice nuncupato universi Ordinis Fratrum Beate Marię de Monte Carmelo apud Nos & Sedem Apostolicam Protectore, & quoad novas supradictarum Conventuum, & Monasteriorum respective assignationes dumtaxat premissis nostris literis derogantes, Decretum preinsertum a memorato Capitulo Generali factum, ut prefertur, cum omnibus, & singulis in eo contentis auctoritate Apostolica tenore presentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicę firmitatis robur adicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, perpetuumque super divisione, & assignationibus prefatis silentium utrique parti imponimus, & os occludimus.

Sicque ubique definitum statuit.

§.5. Decernentes easdem presentes literas semper firmas validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in premissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§.6. Non obstantibus prefatis nostris literis, aliisque premissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit Provinciarum, Conventuum, & Monasteriorum predictorum, aliisque quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate, alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium premissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad premissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romę apud S. Mariam Majoris sub Annulo Piscatoris die 22. Junii 1737. Pont. Nostri Anno Septimo.

C C I X.

Ampliatio Indulti Gregorii XV. nempe quod Fratres Cartusiani non solum erigere valeant Oratoria, & Altaria in eorum Granciis, & Domibus, in quibus residebunt Sacerdotes dicti Ordinis, sed etiam quod ad hujusmodi effectum sufficiat, quod dicta Oratoria &c. visitata, & approbata sint a Patribus Visitatoribus eiusdem Ordinis.

C L E M E N S P P. XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§.3. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus Procurator Generalis Monachorum Ordinis Carthusien., quod cum inter cetera privilegia a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris concessa fæ. rec. Urbanus quidem V. itidem Prædecessor noster per quasdam suas Apostolicas literas septimo Kalendas Maii Anno 1363. expeditas concesserit Monachis ejusdem Ordinis facultatem retinendi in suis Domibus, & Granciis Altaria portatilia, atque inibi Missam celebrandi; Bonifacius vero IX. re. me. etiam Prædecessor noster Constitutione, quę incipit: Sacrosancta Romana &c. prefatum Ordinem a quacumque Ordinariorum Jurisdictione exemerit.

Ordini Carthusien. data facultas habendi Altaria portatilia in Domibus, & Granciis.

§.2. Quarum concessionum prædicto Ordini Carthusien. factarum exemplo pie me. Gregorius XIII. pariter Prædecessor noster Clericis Regularibus Societatis Jesu inter alia indulta impertita per Constitutionem die 3. Maii Anno 1575. emanatam, quę incipit: Decet Romanum Pontificem &c. hoc tribuit, ut in Oratoriis, & Capellis, quę ipsius Societatis Provinciales per se in Domibus, & Collegiis, & aliis locis ubi aliqui Societatis residebunt, approbaverint, & ad divinum dumtaxat cultum deputaverint, Missa, & alia divina Officia, alterius licentia minime requisita celebrari possint.

Hoc exemplo indultum Patribus S. I., ut in locis a Superioribus Societatis ad probatis Missa celebrantur.

§.3. Congregatio quoque tunc existentium S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum die 24. Septembris Anno 1622. pro eodem Ordine Carthusien. edidit sequens Decretum, scilicet. Ut deinceps in Capellis, seu Oratoriis existentibus in Domibus, ac membris, seu Granciis Monasteriorum Carthusianorum postea tamen quam locorum Ordinarii ejusmodi Capellas semel visitaverint, ac fabrica atque ornatu, Sacraque Suppellectili competerint pro dignitate nitere, Sacrosanctum Missa Sacrificium tam per Regulares, si ve ejusdem, si ve alterius Religionis, quam Sæculares Presbyteros tuto celebrari valeat, Missamque inibi audientes diebus festivis præcepto Ecclesię, hac de re edito, satisfacere intelligantur, absque tamen ullo jurium Parrochialium Ecclesiarum præjudicio.

A Congregatione Concilii Carthusien. concessum, ut in Oratoriis simul ab Ordinariis locorum visitatis possint Missa celebrari.

§.4. Quod

§.4. Quod quidem Decretum etiam approbatum fuit a se. rec. Gregorio XV. itidem Prædecessore nostro, qui pariter Anno 1623. per quadragesimam secundam Constitutionem, quę incipit. Ad uberes &c. Largitus fuit sæpedito Ordini Carthusien. communicationem, & extensionem privilegiorum Ordinibus tam mendicantibus, quam non mendicantibus, respective concessorum, vigore cujus communicationis, & extensionis privilegiorum prefatus Ordo Carthusien. semper potitus, & fructus est eodem privilegio, quo potiuntur, ac fruuntur tam prefati Clerici Regulares Societatis Jesu, quam ceteri Regulares, nimirum erigendi in suis Granciis Oratoria sine Ordinariorum locorum licentia, ac visitatione, sed sola dumtaxat approbatione a suis visitatoribus, qui in dicto Ordine Provincialium vices gerunt, facta.

Supplicatum itaque Pape ut in vigore hujus communicationis Carthusiani habere liceat Oratoria solis Visitatoribus Ordinis subiecta.

§.5. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, iidem Monachi Ordinis Carthusien. in Grancia Turricis nuncupata, quę est pars, & membrum Carthusię Trisultina in Diocesi Verulana existenti Oratorium erexissent, & in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum propositum fuisset dubium, An liceret Monachis Carthusianis retinere Oratorium ad celebrandum, seu celebrari faciendum Missa Sacrificium in Grancia Turricis in casu &c. quo die 30. Julii Anni 1735. resolutum fuit affirmative, prævia tamen visitatione Episcopi ad formam indulti Gregorii XV. Prædecessoris. Idem modernus Procurator Generalis considerans esse valde æquum, ut quemadmodum prædicti Clerici Regulares Societatis Jesu, alięque Religiones privilegium erigendi Oratoria ad exemplum privilegiorum prefato Ordini Carthusien. concessorum obtinuerint, & re ipsa retinent in suis Granciis Oratoria, & Capellas minime subiectas visitationi Ordinariorum locorum, ut ex attestationibus Superiorum earumdem Religionum constare asseritur ita, Ordinem Carthusien. propter memoratam communicationem, & extensionem privilegiorum predictarum Religionum sibi impertitam a secundo dicto Gregorio Prædecessore post annum ab edito decreto ejusdem Congregationis Concilii, iidem privilegia potiri, & frui posse summopere desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in premissis opportune provideri, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur.

Cõcedit Clemens.

§.6. Nos igitur ipsum modernum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, toti Carthusianorum.

Ordini, ut non solum erigi possint, & valeant Oratoria, Capella, & Altaria in Granciis, & Domibus Religiosis, in quibus residebunt ejusdem Ordinis Sacerdotes, atque in illis celebrare valeant Missa Sacrificia juxta præinsertum Decretum prefatę Congregationis Concilii die 24. Septembris 1622. editum, & a secundo dicto Gregorio comprobatum, ut prefertur auctoritate Apostolica tenore presentium indulgemus, sed etiam illud ampliando, & extendendo, quod ad hujusmodi effectum satis sit, & sufficiat, quod dicta Oratoria Capella, & Altaria visitata fuerint, & approbata a Patribus visitatoribus ejusdem Ordinis.

Sicque in perpetuum servari mandat.

§.7. Decernentes presentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in premissis per quoscumque Judices Ordinariorum, & Delegatos, etiam Casuarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat obstantibus.

§.8. Non obstantibus premissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis Carthusien. etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium premissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad premissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Presentium Transumptis credi jubet.

§.9. Volumus autem, ut presentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personę in Ecclesiastica dignitate constitutę munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quę ipsis presentibus adhiberetur, si forent exhibitę, vel ostensę.

Dat. die 19. Augusti 1737. An.VIII.

Datum Romę apud S. Mariam Majoris sub Annulo Piscatoris die 19. Augusti 1737. Pont. nostri Anno VIII.

Non-